



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. De depositione testium, qui producti sunt, ad probandam exceptionem dilatoriam, vel peremptoriam super causa principali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

dum quid inhabilibus, quorum depositiones subinde admittuntur.

§. II.

De depositione testium, qui producti sunt, ad probandam exceptionem dilatoriam, vel peremptoriam super causa principali.

Testes producti ad probandam exceptionem dilatoriam tantum, quam Reus contra Actorem proponit, non possunt cogi, nec admitti debent, ad testimonium ferendum super causa principali, cum tantum juraverint, veritatem se dicturos super exceptione dilatoria. *c. De testibus 29. h. t.* & eorum depositio magis tendat, ad impediendum cœptum negotium, quam ad prosequendum. Si verò producti sint super exceptione peremptoria probanda, tunc preterite advertatio, ut etiam super causa principali deponant, jurare debent, & cogi possunt, ut jurent, super toto negotio se veritatem dicturos, quia simul procedi potest super exceptione peremptoria, & super causa principali.

§. III.

An, & quando exceptio opposita contra testes impediat eorum restitutionem, vel non?

Ordinariè non impedit receptionem & examinationem testium, si à Reo contra testes adversum se productos excipiatur, sed quæstio de illorum inhabilitate in finem litis reservari potest, (fortassis in progressu apparebit, nihil horum depositionibus opus esse ad sententiam ferendam, & consequenter frustra de eorum inhabilitate litigaretur)

nisi testi objiceretur notorius defectus, sive crimen publicum, & manifestum, vel tale, quod in continenti statim probari potest (talis enim exceptio impedit talis testis receptionem, & examinationem; neque in finem reservari debet, uti patet ex *c. Ex parte 7. h. t.* vel contra quem opponitur exceptio, pugnet etiam præsumptio juris, aut opponatur, quod sit capitalis inimicus ejus, contra quem producit; quod sit excommunicatus vitandus, quod sit periculum, ne postea non possit examinari, &c. multi tamen docent, quod sit in arbitrio Iudicis, utrum velit exceptiones contra personas testium reservare in finem litis.

§. IV.

An, & quomodo licitum sit, reprobare testes?

Quod liceat testes probatorios super causa principali productos reprobare, & horum reprobatos iterum reprobare, non autem reprobatos hos reprobatos ex *c. Licet Dilectus 49. h. t.* patet. Ne partibus litigantibus, ut ait Pontifex, detur occasio, negotium & litem diutius protrahendi. Et quamvis hoc capitulum tantum loquatur de personis testium, quod taliter reprobari possint, intelligi tamen etiam debet de reprobandis dictis, sive depositionibus testium, cum sit par ratio: neque impedit etiam, quominus testes reprobatos ulterius reprobari possint per instrumenta, quia solum prohibetur, tertio fieri reprobatio per testes, quo in casu magis periclitatur causa de inutili prolongatione, quam impeditam vult *cit. c.* Modus autem servandus in reprobatione testium